

53

19.3.1983

*S. E. Mons. Romolo Carboni, Nunzio apostolico in Italia, porta a compimento l'erezione dell'Opus Dei in prelatura personale.*

Stemma  
NUNZIATURA APOSTOLICA  
IN ITALIA

PROT. N. 15431/83

DECRETUM

*De Apostolica sub plumbo Constitutione Ut sit, qua Opus Dei in Praelaturam personalem erigitur, perficienda*

---

Summus Pontifex Joannes Paulus, Divina Providentia PP. II, Apostolicis sub plumbō Litteris, quarum initium *Ut sit*, die XXVIII mensis Novembris, anno MCMLXXXII, Pontificatus anno quinto, *Opus Dei* in Praelaturam personalem ambitus internationalis erexit sub nomine Sanctae Crucis et Operis Dei, breviate autem nomine *Operis Dei*.

Idem Summus Pontifex, auctoritate Sua Apostolica, nobis, Romulo Carboni, Archiepiscopo titulo Sidoniensi et in Italia Nuntio Apostolico, memoratarum Apostolicarum Litterarum munus perficiendi benigne tribuit.

Easdem, itaque Nos, p̄ae manibus tenentes Litteras, easdemque Praelato personali *Operis Dei* Reverendissimo Domino Alvaro del Portillo, officio fungentes, statim offerentes, ipsam Praelaturam personalem, uti statutum est, constitutam declaramus cum omnibus iuribus et privilegiis quae, ad normam iuris communis, Praelatura gaudent personales, simulque Reverendissimum Dominum Alvarum del Portillo Praelatitia dignitate et gradu insignitum, iuribus et privilegiis ornatum, oneribusque pariter et obligationibus ligatum, ad normam iuris generalis et predictae Constitutionis Apostolicae, necnon propriorum Statutorum, quae « Codex iuris particularis Operis Dei » nuncupantur, renunciamus.

Mandamus denique ut quae constituta et declarata sunt, ab iis, quorum interest, adamussim serventur.

Datum Romae, in Basilica Sancti Eugenii, die 19 mensis Martii, anno Domini MCMLXXXIII.

✠ Romulus Carboni  
Archiepiscopus titulo Sidoniensis  
In Italia Nuntius Apostolicus

Dal *Codex iuris particularis seu Statuta Praelatura Sanctae Crucis et Operis Dei*, Roma 1983, p. XXI-XXII. Testo gentilmente fornito da L. de Echeverría, Salamatca (Spagna).